Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8381
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

mola superior aut inferior tolli
prohibetur quia peccatori predicat-
tanta dispensatione componenda
predicatoris est ut ne derelicta
spe timorem subtrahat nec sub-
tracta spe in solo eum timo-
re derelinquat. Mola enim superi-
or aut inferior tollitur si per predi-
cantis linguam in pectoribus pec-
catoris aut timor absque spe aut
spes absque timore dividatur. In eodem
regule pastoralis titulo .v.

Cum de concessi dignum
dono regiminis ob uti-
litate proximi minime
subtrahendo tractaretur adiunc-
tum est: Uxorem fratris sine filiis
defuncti superstes frater accipiat
atque ad nomen fratris filium gignat.
Quam si accipere forte renuerit
hunc in faciem mulier exspuat
unumque ei pedem discalciet eius-
que habitaculum domum discalciati
vocet. Frater defunctus ille est
qui post resurrectionis gloriam app-
arens dixit: Ite nuntiate fratribus
meis. Qui quasi sine filiis obiit
quia adhuc electorum suorum numerum
non implevit. Huius scilicet uxorem
superstes frater sortiri precipitur quia
dignum profecto est ut cura sancte
ecclesie ei qui bene hanc regere pre-
valet imponatur. Cui nolenti
mulier in faciem exspuit quia quisquis
ex muneribus que percipit prodesse
aliis non curat bonis quoque
eius sancta ecclesia exprobrans
ei quasi in faciem salivam iactat.
Cui ex uno pede calciamentum
tollitur ut discalciati domus
vocetur. Scriptum quippe est: Calci-
ati pedes in preparatione evan-
gelii pacis. Si ergo ut nostram
sic curam proximi gerimus utrum-
que pedem per calciamentum mu-
nimus. Qui vero cogitans uti-
litatem propriam proximorum neglegit quasi
unius pedis calciamentum cum
dedecore amittit. In expo-
sitione evangelii omelia .xxvi.

Cum de reserata occul-
ti pronuntiatione misterii
per mediatoris adventum
eius quoque fidelium mentes tracta-
retur adiunctum est: Suxerunt
mel de petra et oleum de fir-
ma petra. Nusquam tale aliquid
iuxta historiam legitur si tota
veteris testamenti series recen-
seatur. Nusquam de petra mel
nusquam oleum ille populus suxit.
Sed quia iuxta Pauli vocem petra
erat Christus mel de petra sux-
erunt qui eiusdem redemptoris
nostri facta et miracula viderunt.
Oleum vero de firma petra sux-
erunt quia effusione sancti spiritus
post resurrectionem eius ungi me-
ruerunt. Quasi ergo in firma
petra mel dedit quando adhuc
mortalis dominus miraculorum suorum
dulcedine discipulis ostendit.
Sed firma petra oleum fundit
quia post resurrectionem suam iam factus
impassibilis per afflatum spiritus do-
num sancte unctionis emanavit.

Uxor fratris sine filiis de-
functi superstes frater accipiat

Suxerunt mel de petra et oleum
de firma petra